

cinus scribit : وفي سنة عشرين الهجرة كان فتح الاسكندرية وقت صلاة الجمعة مستهل المحرم وكان مدة الحصار عليها اربعة عشرين شهرا Anno Hegiræ vigesimo capta est Alexandria, idque tempore orationis feria 6. ineunte mense Moharramo, post quatuordecim mensum obsidionem. Annus Hegiræ vigesimus cœpit (1) die 22. Decembris anni exeuntis 640. in quem etiam diem incidit feria 6. & initium mensis Moharrami, qui primus est mensium Arabicorum. Quo certe anno Sophronius ipse in vivis esse desierat : Sic igitur Abulpharagius (2) pag. 114. *Quum Amrus Saracenorum Dux cepisset Alexandriam, Joannes Philoponus ab eo rogavit, ut libros Philosophicos, qui in Gazophylaciis sive Bibliothecis Regiis reperirentur, sibi concederet, cui Amrus: id sibi non licere ait, nisi iussu Caliphæ Omari.* At Omarus ab Amro consultus, respondit : Quoad libros, quorum mentionem fecisti, si in illis continetur, quod Alcorano consentaneum sit, absque illis Alcoranus sufficit : quod si quid continent Alcorano repugnans, nequaquam est illis opus, quin imo jube illos e medio tolli. Jussit ergo Amrus dispergi eos per balnea Alexandria, quibus calefaciendis per spatium semestre consumti sunt. Hanc ipsam ex Abulpharagio fabulam hausere Renaudotius in hist. Alexandrina Patriarchar. Jacobitar. pag. 170. & Fabricius Biblioth. Græc. Tom. ix. p. 139. Verum non adverterunt viri docti, ex genuina Sophronii Synodica manifeste colligi, Joannem Philoponum ante ann. 634. quo ea scripta est, jam e vivis abiisse : ac proinde inter Arabicas fabulas hanc Abulpharagii narrationem esse amandandam.

VI. Inter eos, quos adhuc suo ævo in vivis esse Sophronius, notatur I. *Beniamin Alexandrinus.* Cuius in Omaro, tertio Saracenorum Chaliphæ p. 30. Anno Hegiræ xx. (quo nempe, Alexandria capta fuit) Amrus Al-Abbas scripsit Beniamino Jacobitarum Patriarchæ Alexandrino libellum securitatis : unde cum gaudio proinde, qui initium anni Heg. xx. ponunt fer. 5. die 21. Decembris Abulpharagii consule pag. 114. nos in compendium redigimus.